Hypaton & lychanos meson mobiles esse monstrate sunt. Quod si rursus ab hypate meson diatesseron consonan-
tiam inchoemus, erit species diatesseron statutis uocibus terminata G D eaque est prima id est ab hypate me-
son in meson; reliquę minime ut E H et F I. Nam parhypate meson & lychanos meson & trite diezeugme-
non non sunt immobiles. Rursus si eandem diatesseron paramese suscipiat ordinandam, erit quę sta-
tutis coerceatur sonis diatesseron species H L id est a paramese in nete diezeugmenon quę est prima. Nam
caeterae quae sunt I M & K N mobilibus terminantur sonis. Nam trite diezeugmenon & paranete
diezeugmenon & trite hyperboleon mobiles uoces esse praediximus. Item diapente consonantia duas tan-
tum modo species tenet quae statutis uocibus includuntur. Ut si ab hypate meson ordiantur, una qui-
dem est A D H id est ab hypate meson in paramesen, eaque est prima. Altera uero G L id est a mese in nete diezeugmenon haec uero est quarta. Reliquae uero id est I L F K minime statutis uocibus clausę sunt. Nam
parhypate & lychanos & trite & paranete instabiles approbantur. Similis autem ratio erit
si a nete diezeugmenon in grauiorem partem id est ad mesen consonantiae huius species
considerentur. Eisdem enim immobilibus uocibus quae superius dictę sunt continebuntur.
Siue autem ab hypate meson seu a mese seu a paramese siue etiam ante a nete hyperboleon
consonantias ad grauiorem partem ducamus, duarum quae statutis uocibus coherceantur
non poterit esse districtio. Diapason uero consonantiae siue ab hypate hypaton in paramesen
siue a neten hyperboleon in meson ordo sumatur, tres tantum modo species obtinebit
quae immobilibus uocibus coherceantur. Nam ab hypate hypaton ordientibus una est
A H ea quae est prima, ab hypate hypaton in paramesen. Altera D I ea quae est quarta,
ab hypate meson in nete diezeugmenon. Dehinc G O haec septima est id est a mese in neten
hyperboleon. Reliquarum uero specierum uoces extimae nullo modo constitutę sunt.
Nam parhypate & lychanos & trite & paranete ut supra quoque dictum est non sunt immobiles.
Similiter autem & per easdem uoces si ab hyperboleon nete ordiamur, specierum ordo contexitur.
Quorum omnium intellegentiam subiecta descriptio faciet esse notiorem.

hic infra lineas figurę sequitur ordo

Prima sonat quartae resonabit quinta secundae Tertia cum sexta nomen habebit auis.

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 126 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0298/126)